6.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LENTIS CALIGINE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

LENTIS CALIGINE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITÈ ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JEREMIAS KIRBY,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD.

VIII° Calend. Julii, horâ locoque solitis.

Quæ lædunt oculum, feſtinas demere. Hor.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1802.

VIRO NOBILI,

ALEXANDRO MURRAY,

BARONI DE ELIBANK,

OB

PLURIMA BENEFICIA,

IN EUM

COLLATA;

HOC

QUALECUNQUE SIT

TENTAMEN,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

ITEMQUE,

PATRI DILECTISSIMO,

NUNQUAM NON VENERANDO,

GULIELMO KIRBY, M. D.

CAMALODUNI,

IN ESSEXIA PRÆFECTURA,

MEDICINAM FACIENTI,

PIETATE,

QUA DECET,

SACRUM

VULT

AUCTOR

Ἰὼ σκότε νέφος ἐμὸν
Ἀπότροπον, ἐπιπλόμενον,
Ἄφατον ἀδάμαστόν τε
Καὶ δυσέριστον· οἴμοι,
Οἴμοι μάλ' αὖθις.—

SOPH. Oedip. Tyr.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
LENTIS CALIGINE.

PROOEMIUM.

§ I. OCulus, ejusque vitia, attentionem medicorum, tum veterum, tum recentiorum, meritò vindicaverunt; nimirùm quòd, hujus organi excellentiſſimi ope, tot tantisque deliciis fruimur, cœlum, terras perluſtramur, et plurimas informationes gratiſſimas, nullo alio ſenſu conſequendas, accipimus. Operæ pretium, igitur, me facturum arbitratus ſum, ſi, hujus almæ Academiæ inſtitutis pariturus, quædam de hac re colligerem atque explicarem.

II. Hoc propoſito, morbum frequentiſſimum moleſtiſſimumque, Cataractam nempe, paginis hiſce ſequentibus breviter exponere ſtatui.

III. Morbus, quem Græci Ὑπόχυσιν ſeu Ὑπόχυμα, Latini autem Suffuſionem, appellabant, jamdudum ſub nomine Cataractæ a medicis ſatìs ſuperque notus eſt. A CULLENO, noſologorum facilè principe, Caligo Lentis nuncupatus eſt, et ab eodem ſic definitur:

"Caligo Lentis, ob maculam opacam ponè "pupillam."

IV. Etſi ejus naturam antiqui ignorabant, quippe qui velum quoddam opacum ante cryſtallinum humorem penſile eſſe exiſtimarent, curationem tamen, depreſſo ſcilicet corpore opaco, benè intellexerunt. Cataractam cum Amauroſi, vulgò Gutta Serena, planè confundebant.

V. Apud plurimos pro certo habitum eſt, naturam ejus veram ante MAITRE-JEAN non rectè intellectam eſſe; errant verò, ſiquidem, teſte etiam SENNERTO, nonnulli ſui temporis illam lentis cryſtallinæ obſcurationem eſſe putabant,

tabant, quod ipſe non negat, ſed, anne vitium iſtud Suffuſio dici poſſit, dubitat.

VI. In libro "Journal des Sçavans" dicto, eſt legi ſententia, quam, ut attentione dignam, tranſcribere liceat:

"ARISTOTE, GALIENS, et tous les anciens, "étoient demeurés d'accord, que la viſion ſe "fait dans cette humeur de l'œil qu'on ap-"pelle Cryſtallin, à cauſe de ſa tranſparence "et de ſa ſolidité; mais quelques auteurs mo-"dernes ont allegué trois fortes raiſons contre "cette opinion; et l'experience qu'on a faite, "depuis quelque temps, l'a entièrement dé-"truite: Car les oculiſtes ont trouvé, qu'il "n'avoit point d'autre moyen de guerir la "maladie des yeux, appelé vulgairement la "Cataracte, que d'abattre la cryſtallin; de "ſorte qu'ils ont rendu l'uſage des yeux à "pluſieurs perſonnes, en rendant inutile cette "partie, que les anciens croyoient la princi-"pale organe de la viſion."

VII. Hæc, anno circiter 1668 ſcripta ſunt, antequam MAITRE-JEAN floruiſſet.

VIII. Cataractæ

VIII. Cataractæ ſpecies tres apud auctores vulgò enumerantur, ſcil.

1*ma*, Lentis ipſius opacitas;

2*da*, Capſulæ lentis opacitas; et

3*tia*, Interſtitialis ita dicta.

IX. De poſtrema nihil eſt in animo ſcribere; et ſpecies ſecunda vix attentionem noſtram meretur, utpote quæ rariſſimè occurrat.

X. Teſtatur RICHTERUS * eam, tunc temporis, ſemel tantùm illi contigiſſe videre. Uſitatè Cataracta Membranacea audit.

XI. Modò faciem capſulæ poſteriorem, modò anteriorem occupat; aliquando ex latere utrovis ſedem habet. Vix, niſi in caſu primo, ſanationem admittit. Aliàs Secundaria dicitur quod ſit ſæpenumero Caliginis Lentis conſequens, præſertim poſt cryſtallini depreſſionem.

HIS-

* Faſcicul. de Cataracta.

HISTORIA SIGNORUM.

XII. Haud æquo pede in omnibus aggreditur morbus. Alios ſubitò corripit; et dierum ſpatio paucorum, caligo obcæcat oculos; quin et uno die, rariſſimè tamen, craſſa et conſummata cataracta obſervata fuit *. Alios greſſu tardiore, inſidioſo, invadit.

XIII. Centrum lentis, plerumque, primùm afficitur, et inde ad peripheriam opacitas gradatim extendit.

XIV. Accedente morbo, æger, interdum, præſertim ferè in luce clariore, aut in aprico, viſum ejus ſolito hebetiorem eſſe ſentit; per nebulam quaſi, per fumum aut cornu, omnia videntur.

XV. Si aliquid per foramen parvum, in charta luſoria ſcilicet, inſpicere conetur, circulum nebuloſum, coloratum, foramen implere, impedientem, quo minus objectum cernatur, videbitur.

XVI. Sæpe

* FERNEL Path. lib. I. cap. 6.

XVI. Sæpe æger objecta ex utrovis latere ſita conſpicere poteſt, quæ recto oculo viſibilia non ſunt.

XVII. Hoc tempore quoque, viſus luce obſcuriore, ut in crepuſculo, plerumque clarior eſt; haud ſemper verò res ita ſe habet; tum autem opacitas latiùs per lentem diffunditur.

XVIII. Alii, initio morbi, muſcas volitantes, culices puſillos, filos ſplendentes et ſimilia, huc illuc ante oculos verſari vident; aliis autem hæc ſimulachra abſunt.

XIX. Si opacitas mediam lentem non occupaverit, ſed marginem ex aliqua parte invaſerit, objectum quodvis orbiculare, ab ægro inſpectum, margine imperfecta apparebit. Piſcatorem quendam in Noſocomio Edinenſi noveram, qui mihi retulit, ſe primùm viſum ſuum deficientem ſentire, quod lunam plenam, clarâ nocte, adſpiciens, eam quaſi mutilatam vidit.

XX. Tandem, citiùs ſeriúsve, lens tota obſcuratur, miſerque aut a luce omninò excluditur, aut ſaltem lucem e tenebris tantùm diſtinguere poteſt.

XXI. Dum hæc aguntur, oculus ipſe affectus parùm aut nihil dolet; aliàs autem, initio morbi,

morbi, dolor ſævus, aliàs ſenſus alicujus, ut pulveris aut arenæ, infra palpebras intruſi, percipitur.

XXII. Oculum modò alterum, modò utrumque, occupat caligo; hoc autem frequentius videtur, et ſiquando utervis caligatus fuerit, alter haud longo plerumque afficietur.

XXIII. Hæc ſunt ſigna præcipua, quæ ipſis cataractâ laborantibus percipiuntur: de iis, quæ chirurgo, oculum inſpicienti, ſint videre, in diagnoſi tractando potiùs dicendum eſſe cenſeo.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXIV. Caligo lentis rarò congenitus eſt morbus, quamvis non deſunt exempla infantum ex eadem obcæcatorum.

XXV. "Tres vidi infantes," inquit RICHTERUS *, "ſanis cæterum parentibus ortos, "qui, ſub initio tertii ætatis anni, ſinguli ca- "taractâ viſum perdiderunt."

XVI. Certum

* RICHT. loc. cit.

xxvi. Certum tamen eſt, ſenes potiſſimùm ei obnoxios eſſe; ideóque ſemper inter morbos ſeniles enumeratur.

xxvii. Apud veteres, convexitas corneæ major, huic vitio proclivitatem dare putabatur; nec injuriâ, ſiquidem, quò majór convexá cornea ſit, eò obnoxior eſt vi externæ, unde cataracta toties originem ducit.

xxviii. Multi labem hæreditariam incusârunt, quòd plures ejuſdem familiæ hoc morbo laboraverunt.

xxix. Fateor, me *catalogum* morborum hæreditariorum juſto numeroſiorem eſſe arbitrari. Podagra, ſtruma, phthiſis, calculus, mania, quid non? a parente in filios deſcendunt; quinetiam virtutes ſceleraque a quibuſdam hæreditaria habentur. Filii naturâ parentes imitantur, vitam ſimilem degunt, adeóque habitus tam animi quàm corporis ferè idem eſt; hinc cauſis morbi abditis ſimilibus obnoxii fiunt.

xxx. Inter cauſas quæ lentis caligini proclivitatem maximè præbeant, quæcunque debilitatem corporis univerſalem inducant, meritò

ritò numerantur. Tales ſunt, Venus immodica et liquorum ſpirituoſorum abuſus.

XXXI. Nihil oculos obcæcare magìs ac immodica Venus valet: indéque viri νεογαμοι, qui amoris dulcedine nimiùm indulgere ſolent, viſûs hebetudine ſæpenumerò laborant.

XXXII. Qui in ſe liquores meraciores ingurgitare aſſueſcunt, huic morbo quoque maximè proclives ſunt.

XXXIII. Tantùm de Cauſis pleriſque abditis ſeu Prædiſponentibus: reſtat ut evidentes ſeu Excitantes breviter explicem.

XXXIV. Hæ in oculum ipſum agunt, illæ totum corpus afficiunt.

XXXV. De his in univerſum, obſervare ſufficiat, quod quæcunque oculo inflammationem graviorem inducere polleant, caligini anſam præbere poſſunt.

XXXVI. Nunc per corneam, nunc per lentem, caligo ſeſe diffundit, cujus rei rationem dare nequeo; verùm, ut probabile eſt, quo gravior inflammatio, eò latiùs oculum afficiet.

XXXVII. Cauſæ quæ, oculi inflammationem excitando, lentis caliginem inducant, ſunt

præcipuè, vis externa; radii lucis aut caloris nimiâ copiâ in oculum intromissi; lucis cum tenebris subitanea commutatio; acria chemica varia, ut acidi nitrosi vapores; nimius oculorum usus.

XXXVIII. Radios lucis et caloris hoc efficere posse experientia comprobat, quòd homines, qui artibus Vulcanicis multùm versantur, ut fabri et vitrarii, sæpissimè caliginosi fiunt.

XXXIX. Huic causæ æquè ac arenæ particulis oculo immissis, tribuendum est quòd tot milites Europæi in Ægypto merentes, opthalmiis gravissimis affecti fuerunt.

XL. Radii lucis tam ab arenis Africæ quàm a nivibus Laponiæ, in oculum reflexi, similes effectus edunt.

XLI. Frequens et subitanea lucis majoris cum obscuritate, aut lucis lucernæ cum luce solis mutatio, simili modo oculos lædit.

XLII. Inde patet quare nautæ, qui in navibus longis vitam degunt, huic morbo ita sint proclives; modò in obscuro sedent, seu variis in modis sese exercent; modò solis summo splendori objiciuntur.

XLIII. Dicet

XLIII. Dicet aliquis, Hi nautæ multum liquoris ſpirituoſi ingurgitare ſolent, quod ut tuipſe ſuprà monuiſti, cauſa eſt caliginis perfrequens.

XLIV. Fateor; ſed liquores ſpirituoſi, non niſi poſt longum tempus, debilitato corpore univerſo, cataractam inducunt; hæc verò lucis cum tenebris mutatio ipſum oculum citò afficit.

XLV. Milites ad naves duos muneri inſuetos, quum propter cereviſiæ abundantiam, nihil ſpiritûs, ut mos eſt, ſubminiſtratum eſſet, brevi nihilominus cataractâ correptos novi. Nunc hi milites magis huic cauſæ excitanti quàm nautæ objiciuntur, quòd præter ſolitum navis officium, eorum eſt ſub Jove excubias agere.

XVI. Mulieres, ut videtur, quibus menſes ceſſaturi ſunt, præ aliis caligini ſunt obnoxiæ.

CAUSA PROXIMA.

XLVII. Causa cataractæ Proxima, ex noſtra ſententia, eſt coagulatio albuminis, ex quo lens cryſtallina conſtat; et putamus hanc coagulationem,

coagulationem, plerifque, ne dicam omnibus, in cafibus, inflammationis effe confequentem.

XLVIII. Similitudinem lentis materiem inter et albumen ovi, propria experimenta, ni fallor, teftantur.

XLIX. Lentes plures bovinas, eas in aqua fervida mergendo, coegi, pofteàque aëri, dum exficcarentur, expofui.

L. Lentium ita ficcatarum, et albuminis ovi, eodem modo præparati, pondera æqualia actioni aquæ bullientis, acidorum fulphurici, nitrici, muriatici, folutionis potaffæ puræ, et aquæ ammoniæ puræ, fubmifi.

LI. Effectus, ut compertus fum, prorfùs fimiles fequuntur.

LII. In omnibus liquoribus, nempe, lens et albumen, antehac pellucida, opaca fiunt.

LIII. Acidum fulphuricum utraque, calorico extricato, folvit, et liquor pellucidus, ruber, producitur.

LIV. Acidum nitricum, diffociato gafe nitrofo, utraque flava reddit, atque pedetentim folvit.

LV. Acidum muriaticum eadem, nifi opaca reddendo, vix mutat.

LVI. In

LVI. In ſolutione potaſſæ brevi nigreſcunt, et gradatim ſolvuntur.

LVII. Ammonia nullam mutationem, præter opacitatem, efficit.

LVIII. Lentis oculorum caligatorum, albumen coactum ſatis aptè referunt: color plerumque ſubalbidus ſeu griſeus eſt; aliquando, revera, nigrefactæ ſunt, cujus rei cauſa adhuc perobſcura eſt. Aliàs magìs, aliàs minùs, coagulantur, ideóque firmitate variantes reperiuntur.

LIX. Hinc cataractarum in fluidam, duram, mollem, et fluido-duram, diviſio.

LX. In tantùm non omnibus exemplis, ut mihi videtur, inflammatio cataractam prægreditur, et hanc lentem cryſtallinam opacam reddere poſſe, docet *analogia*.

LXI. Etenim, ut notat noſter præcl. GREGORIUS, de hac ipſa re, in prælectionibus clinicis agens, in ophthalmiis gravioribus caliginem corneæ ab effuſione obductam ſæpenumerò vidimus; ſtructura autem corneæ lentis fabricæ nequaquam eſt abſimilis, ideóque hanc ex eadem cauſa ſimili modo affectam fore concludere licet.

LXII. Si

LXII. Si his objiciatur, Cataractam ſæpè, nullâ prægressâ inflammatione evidente, accidiſſe, ita ut, vel inſciente ægro, oculus alteruter caliginoſus fiat; reſpondeo, Sæpè in ſectis cadaveribus, eorum, qui pneumoniâ nunquam affecti fuerant, pulmones nihilominus inflammationis priſtinæ notas evidentes exhibuerunt.

LXIII. In jecore quoque, ſcirrhomata, immo etiam apoſtemata, detecta ſunt, etſi, vivente homine, hepatitis omninò, ſeu magna ex parte latuiſſet. Quid obſtat, cur in oculo eadem, quæ in pneumone et jecore, non eveniant?

LXIV. Quo modo inflammatio coagulationem dictam efficiat, me penitùs ignarum eſſe confiteor; fortaſſè calore majore incitato, fortaſſè ſanguinis per vaſcula lentis circuitum impediendo: effectus quidem vidimus, cauſas ignoramus.

LXV. Jamdudum MAITRE-JEAN cauſam cataractæ proximam poſuit in humore quodam acido, intra capſulam ſecreto, atque a lente imbibito; neque hæc ejus opinio, quoad rem,

imbibitione

imbibitione exceptâ, ita abſurda eſſe videtur, ſiquidem, ut anteà dictum eſt, vapores acidi nitroſi vitium hocce citò induxerunt.

DIAGNOSIS.

LXVI. Caliginis lentis diagnoſis duas res præcipuè ſpectat; eam, nempe ab aliis quibuſdam oculi vitiis diſtinguere, et ejuſdem varietates internoſcere.

LXVII. 1mò.—Caligo lentis a caligine corneæ et humorum, dignoſcenda eſt, quòd in illa, cornea, lateraliter perſpecta, pellucida videtur.

LXVIII. Ab amauroſi, autem, haud æquè facilè diſtingui poteſt, nimirum quòd perſæpè hæc duo vitia ſimul oculos afficiant.

LXIX. Incipiente ſimplice cataractà, aliquis, oculum affectum inſpiciens, opacitatem pone pupillam, mediam ferè lentem occupantem, planè cernet; et progrediente morbo, caliginem quotidie magìs magìsque increſcentem obſervabit.

LXX. Verùm

LXX. Verùm incipiente et progrediente amaurofi incompofitâ, nihil hujufmodi videre eft, fed pupilla clara, pellucida, nigra apparet.

LXXI. In cataracta, plerumque, luce clariore, ut lucernæ, oculo admotâ, iris fefe facilè contrahit et luce amotâ, denuò relaxatur; haud ita in amaurofi.

LXXII. Cataractâ laborantes plerique luce vividiore pejùs, amaurofi meliùs, videre poffunt.

LXXIII. Per totum ferè cataractæ curfum, æger lucem a tenebris difcernere poteft: in amaurofi res brevi prorfùs aliter fe habent.

LXXIV. 2dò.—Neque parvi eft momenti, hujus morbi varietates et implicationes agnofcere.

LXXV. Harum præcipuæ funt, cataracta nigra; cataracta cum iridis capfulæ lentis concretione; et cataracta cum amaurofi complicata.

LXXVI. Si igitur pupilla nigra fit, iris autem, admotâ lucernâ, facilè fefe contrahat, fublatâque luce denuò dilatetur, obcæcato

fimul

ſimul ægro, cataractam adeſſe nigram, pro certo habere fas eſt.

LXXVII. Si corpus ſubalbidum ſeu griſeum, pone pupillam appareat, verùm iris aut nihil aut inæqualiter moveatur, modò ægrotus lucem a tenebris diſcernere queat; haud iniquum erit concludere, aliquid iridis capſulæ lentis adhærentiæ accidiſſe.

LXXVIII. Mœſtiſſima eſt, et prorſùs ferè inſanabilis illa amauroſis cum cataracta implicatio, notis ſequentibus, ſiquibus, dignoſcenda: pupilla opaca eſt, plerumque coloris ſubalbidi ſeu griſei, aliquando nigri; iris immobilis eſt; miſerque homo in denſiſſima nocte, ab omnibus quæ per oculis accipimus deliciis, omnino excluditur.

PROGNOSIS.

LXXIX. HUJUS vitii prognoſis, poſtquam extractio inter chirurgos tantùm invaluit, multò minùs eſt infauſta; quòd plurimas lentes caligatas, quas veteres deprimere nequaquam tentandum eſſe monebant, extractione

tutò faciléque amoveri posse, experientia docet.

LXXX. "Quod nigrum," inquit acutissimus LOMMIUS *, "aut lividum, aut vehementer "flavum est, id neque medicinâ curari, ne- "que acu potest." Plures autem talium lentium nuperis annis extractæ sunt †.

LXXXI. Ætas media operationi favet: cataracta autem infantes invadens, rarò tollitur.

LXXXII. Facilior est curatio cataractæ *idiopathicæ*, quàm ejus quæ a debilitate universali originem ducit.

LXXXIII. Ut antea dictum est, cataracta cum amaurosi implicata vix, aut ne vix quidem, sanationem admittit.

LXXXIV. Si cornea denique caligata fuerit, hæc caligo priùs discutienda est quàm cataractæ curatio tentetur.

QUÆDAM DE CURATIONE.

LXXXV. SUBINDE cataracta suâ sponte evanuit: exempla hujus duo protulit St YVES.

LXXXVI.

---

* LOMMII Obs. Medic. de Suffusione.

† WENZEL on the Cataract, by WARE.

LXXXVI. WATHEN casum cujusdam narrat, qui, postquam cataractâ oculorum utroque annos octodecim laboraverat, tandem feliciter visum recuperavit, eundemque ad finem usque vitæ retinuit *.

LXXXVII. Exstant exempla cataractæ, ab inflammatione gravissima oculo inducta, discussæ †.

LXXXVIII. Plurima remedia, ad caliginem lentis discutiendam utilia, memorantur.

LXXXIX. Apud veteres, teste PLINIO ‡, MILETUS oculorum suffusiones felle hominis, ut quoque ursino, sanari scripsit.

XC. Auctor minimè jocosus, LE MOINE §, nos certiores fecit, mulierem cataractâ incipiente in utroque oculo laborantem, assiduè diuturnéque millepedes viventes devorando, curatam esse !

XCI. Viventes

* WATHEN on the Cataract.

† Mem. Med. Soc. Lond. vol. iii.

‡ PLIN. Hist. Nat. lib. 28. Procem.

§ LE MOINE. apud HALL. Disp. Chir. vol. ii. p. 156.

XCI. Viventes tamen devorare, ut videtur, haud neceſſarium eſt, ſed, "quòd minùs "faſtidioſum et nauſeabundum, ſuccum ex-"preſſum haurire ſufficiat."!!

XCII. Ab aliis, hydrargyrum multùm laudatur; et ſternutamentum ex ſubſulphate hydrargyri, et pulvere nicotianæ tabaci, aut pulvere aſari compoſito, conflatum, auctore Domino WARE, profuiſſe compertum eſt.

XCIII. Jampridem BOERHAAVIUS pulverem ex ſaccharo et muriate hydrargyri miti, ſimili cum intentione præſcripſit *.

XCIV. Exulceratoria, et hirudines temporibus admoti, parùm profuerunt.

XCV. A quibuſdam camphora et atropa belladonna, tum ſingulæ, tum ſimul adhibitæ, commendantur.

XCVI. Narcotica alia, ut conium maculatum, hyoſcyamus niger, et præſertim arnica montana, plurimùm celebrantur; experientia autem eulogium minimè adfirmavit.

XCVII. WATHEN et WARE vaporis ætheris ſulphurici, PLENCK † vaporis ammoniæ, per breve

---

* BOERHAAV. de Morb. Ocul.

† PLENCK. Doctrin. de Morb. Oculor.

breve tempus ſubinde oculo adhibiti, uſum monent.

XCVIII. Verùm inter omnia remedia, quibus morbis oculorum longis uſitatè occurritur, multùm eminet electricitas, et identidem morbum incipientem fugavit.

XCIX. Inventum Galvanicum, quod ſpecies electricitatis mitior, poſthac, ut veriſimile videtur, haud ſine fructu uſurpetur.

C. "Promiſſiones," GALENI verbis uti, "omnium horum pharmacorum magnæ ſunt, "verùm effectus aliquando nullus, aliquando "valdè exiguus †," et plerumque ad ferrum chirurgi refugiendum eſt.

CI. Duplice modo manus, cataractæ laborantibus, opitulatur: Lens enim caligata, aut e loco ſuo divellitur, et ad fundum latusve oculi relinquitur, aut ex oculo penitùs extrahitur.

CII. Poſt longam de utriuſque operationis commodis controverſiam, nunc chirurgorum plerique extractionem anteferunt.

CIII. Haud

---

* GALEN, de Compoſ. Medicam. ſec. locos, l. 4. c. 4.

CIII. Haud mihi in animo eſt modum operationem peragendi, deſcribere: fusè a ſcriptoribus chirurgicis, præſertim WATHEN, RICHTER, WENZEL, BELL et CALLISEN, exponitur: quædam tamen obſervare haud alienum eſſe videtur.

CIV. Præcl. MONRO, cui alii haud pauci aſſentiuntur, in cataracta extrahenda, ſectionem corneæ ex ſuperiore parte nos facere ſuadet.

CV. Namque, "Retentâ (inquit) humo-
"ris vitrei dimidiâ parte, inter operandum,
"minùs foret periculi iridem vulnerandi; at-
"que, porrò, cùm multò plura objecta infra
"pupillam, quàm ſupra hanc, ſita contempla-
"mur, æger, poſt ſanationem vulneris, incom-
"modi multò minùs a cicatrice corneæ ſupra
"pupillam, quàm ab hac infra eam, patere-
"tur."

CVI. Errant multùm, MONRONE judice, oculiſtæ qui ſe lentem unà cum capſula ſua, ſine ſaltem humoris vitrei ſumma injuria, extrahere poſſe credunt; adeò arctus enim eſt hu-

jus

jus capſulæ, involucro humoris vitrei, nexus, ut nequicquam ab eo impunè ſeparari queat.

CVII. In lentis extractione, maximi momenti eſt tum ægro, tum chirurgo, ut oculus immobilis, et pupilla quàm maximè dilatata, teneantur.

CVIII. REIMARUS * nos certiores fecit, extractum atropæ belladonnæ conſiliis utriſque reſpondere. Guttæ aliquot hujus extracti, aquâ commixti, in oculum inſtillatæ, paralyſin muſculorum brevi inducunt; ſimulque iris adeò ſe contrahit, ut facillimè cornea ſecari, et lens extrahi, poſſit.

CIX. Solutio ante operationem circiter ſemihoram adhibenda eſt. Dr GRASSMEYER òbſervationem REIMARI experimentis probavit †.

CX. Annus circiter eſt, quum chirurgus Londinenſis, Eques JACOBUS EARLE, methodum lentis extrahendæ, ut dicit, novam melioremque in lucem edidit.

CXI. Depreſſione

---

* Medic. and Phyſ. Journ. No. 14.

† Ibid.

CXI. Depreſſione pariterque extractione, uſitatè factâ, illi non placentibus, utraſque quodammodo conjungere conatus eſt.

CXII. Inſtrumentum igitur confinxit, quo lentem, ſine corneæ vulnere, extrahere poſſit.

CXIII. Conſtat ex acu lanceolata, cui adaptatur canula bifida, ſic ut, ſimul in oculum immiſſis, et acu retractâ, laminæ canulæ, modo forcipis, divaricentur, lentemque prehendant *.

CXIV. Auctor ingenioſus rectè obſervat, hujuſmodi propoſitiones, abſque exemplis earum utilitatis, non accipiendas eſſe; exempla itaque duo vel tria protulit oculorum caligantium a ſe hujus inſtrumenti ope ſanatorum.

CXV. Hujus auctoris neque ingenio neque veracitati diffidere conſilium eſt; ſed operatio propoſita tot difficultatibus periculisque laborare mihi videtur, quot certè pleriſque uſum ejus penitùs præcludunt.

CXVI. Neque tamen auctor methodum *novam* propoſuit, neque *novum* inſtrumentum.

CXVII. Abhinc

* EARLE on the Cataract.

CXVII. Abhinc annos plus centum, anno fcil. 1695, ALBINUS differtationem de Cataracta edidit, in qua, de operatione eadem et fimili inftrumento, mentionem fecit:

CXVIII. "Annus circiter eft, cùm circumforaneus ······· qui gloriabatur, fe acum habere, quâ cataractam ex oculo commodè educere poffet *," &c.

CXIX. Tentamen hocce nunc demum ad finem perduxi. Errores fine dubio fcatent, quamvis eas, pro virili, evitare conatus fim. Qualecunque fit, lectori candido mando.

* HALLER, Difp. Chirurg. vol. ii. p. 61.

FINIS.